unum sumus agnosce proprium domini. Et minus servi, propriu
domini est aequalitas patris, minus servi participatio salva
toris; Quaerebant ergo eum conprehendere, utinam conprehenderent.
sed credendo et intellegendo, non saeviendo et occidendo; Nam
modo fratres mei quando talia loquor infirmus fortia parvus
magna fragilis solida, et vos tamquam et ego de eadem massa
unde sum. Et ego ipse qui vobis loquor simul omnes apprehendere
volumus Christum, quid est apprehendere? Intellexisti, apprehendis
ti. Sed non sicut iudaei, tu apprehendis ut habeas, illi adprehen
dere volebant ut non haberent, et quia sic volebant adprehendere
quid eis fecit? Exiit de manibus eorum, Non eum apprehenderunt quia manus
fidei non habuerunt, Verbum caro factum est, sed non erat
magnum verbo tenere carnem, ut carnem manibus, mente
verbum adprehendere, Hoc est Christum recte adprehendere, Et abiit
iterum trans Iordanem in eum locum ubi erat Iohannes bapti
zans primum et mansit ibi, et multi venerunt ad eum et di
cebant, quia Iohannis quidem signum fecit nullum, Meministis
vobis dictum de Iohanne quia lucerna erat et Christo testimo
nium perhibebat, Quid ergo ista apud se dixerunt?
Iohannes signum fecit nullum, nullum inquiunt miraculum
ostendit Iohannes, non daemonia fugavit, non expullit
febrem, non caecos inluminavit, non mortuos sus
citavit, Non tot milia hominum de quinque vel
septem panibus pavit, non super mare ambulavit, non
ventis et fluctibus imperavit, nihil horum fecit
Iohannes, et totum quidquid dicebat huic testimoni
um perhibebat, per lucernam veniamus ad diem, Iohannes nullum
signum fecit, Omnia autem quaecumque dixit Iohannes de hoc
vera erant, Ecce qui adprehenderunt, non quomodo iudaei vole
bant adprehendere, discedentem adprehenderunt ista permanen
tem, Denique quod sequitur, et multi crediderunt in eum.

EXPLICIT XLV INCIPIT XLVI.

AB EO QUOD SCRIPTUM EST. ERAT AUTEM QUIDAM LANGUENS LAZA
RUS a bethania USQUE AD ID QUOD AIT, ABIIT IN REGIONEM IUX
TA DESERTUM IN CIVITATEM QUAE DICITUR EFFREM